



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

Q. 207. Quæ sint species furti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515

pediat, ut ipse primus rem auferat, item si quis noctu violentè effringat ostia & nemine præfente aut renitente rem subducatur, non erit rapina sed simplex furtum; putat tamen *Haun. n. 262.* fore rapinam, si habuisset animum vim inferendi, & ita videtur innui L. 52. §. 10. ff. de furtis. similiter quamvis per metum sit vis illata, si non inferatur violentia, non erit rapina apud Juristas, nec in foro civili dabitur actio, quæ alias datur contra rapinam, & dicitur *Devi bonorum raptorum*, Instit. & ff. hoc titulo, sed tantum dabitur actio, *Quòd metûs causâ*, uti cum aliis notat *Haun. n. 263.*

943 §. 8. *Objici potest.* Homo tenetur bona sua temporalia postponere salutem æternam proximi, ergo nunquam est rationabiliter invitus, ut proximus hæc accipiat, sed tenetur potius velle, ut habeat, quam ut peccet mortaliter, ergo minusquam peccabitur saltem mortaliter per furtum vel rapinam. R. Si argumentum valet, ergo multa proximo fieri poterit injuria gravis: itaque dist. antec., homo tenetur bona sua temporalia postponere salutem æternam proximi, si proximus per suam malitiam velit suam salutem perdere, n. si proximus non possit aliter suam salutem consequi, c. antec. & n. conseq.

944 Q. 207. *Quæ sint species furti.* R. Species furti genericè sumpti apud Theologos sunt, furtum strictè sumptum & rapina, de quibus à n. 93. dictum est, ad quæ accedit species Sacrilegii, si res sit sacra vel tollatur è loco sacro secundum dicenda l. 5. n. 127. Et speciatim de furto Religiosarum dictum est hic n. 53. Species furti apud Juristas sunt, 1. *Manifestum*, in quo fur præfente

re adhuc in seutione vel in clamatione deprehenditur cum re furtiva, eo die, quo furatus est, antequam detulerit eò, quò deferre & ubi cum furto manere constituerat: *Non manifestum*, in quo fur non ita deprehenditur. 2. *Diurnum*, quod fit in ea luce, quâ fur agnosci possit: *Nocturnum*, quod fit in eis tenebris, ut fur agnosci non possit: Statuitur autem L. 4. ff. ad legem Aquiliam, ut solus nocturnus fur impunè occidi possit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur; limitatur L. 9. ff. ad legem Corneliam de sicariis, si parcere ei sine periculo suo non possit. 3. *Qualificatum*, quod in iure habet speciale nomen & punitur specialibus pœnis: *Non qualificatum*, quod speciale nomen non habet in iure, idèoque nec illi speciales pœnæ decretæ sunt. *Qualificata* sunt, *Peculatus*, quod est furtum circa res vel bona publica ad fiscum aut principem pertinentia, quo spectat etiam crimen legis Juliæ, si quis bona communitati distribuenda in proprium commodum vertat, aut debens distribuere pecunias obtrudat aliquid aliud; item adulteratio monetæ facta à monetario, item cufio monetæ sine licentia, etiam in usus proprios, & quamvis ex materia propria. *Abigeatus*, si ex grege abigantur plura pecora etiam successivè, vel etiam unum, si sit magnum, uti bos, equus, etiam si è stabulo abstrahatur, uti notat *Illung* t. 4. d. 3. n. 131. *Plagium*, si homines liberi & inviti dolosè intercipientur, supprimantur, vendantur, emanant. De his omnibus videri possunt plura apud *Haun.* à n. 259.

Q. 208. An furetur, qui rem aufert dominovi- 945
dente & non contradicente, aut si putetur esse con-
tentus.

Nn 3

tentus.